

Datum Laterani per manum Blasii sancte ecclesie Romane subdiaconi et notarii, idus novembris, indictione sexta, incarnationis dominice anno millesimo ducentesimo secundo, pontificatus vero domini Innocentii, pape III. anno quinto.

— 'Communi et speciali debito' (f. 2 und 262).

Inseriert in eine Urkunde Bonifaz IX. für dieselben Empfänger von 1399 Juni 24.

Datum Rome apud sanctum Petrum, VIII. kal. iulii, pontificatus nostri anno decimo.

— 'Sedis apostolice providentia'.

8. Honorius III. verbietet, die Bildung von Bruderschaften des Johanniterordens zu hindern, über die Glieder des Ordens das Interdict zu verhängen, und befiehlt, alle Schädiger des Ordens mit den geistlichen Strafen zu verfolgen (f. 253'). 1222 Juli 21. — Lateran.

Honorius etc. venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus prioribus decanis archidiaconis et aliis ecclesiarum prelati, ad quos littere iste pervenerint, salutem etc. Ad iniurias et molestias propulsandas¹, que religiosis hominibus inferuntur, nullos magis quam ecclesiarum prelatos convenit congruam² sollicitudinem adhibere. Sicut autem dilecti fratres Iherosolemitani hospitalis transmissa nobis questione monstrarunt, vos de novo confratrias quasdam in vestris³ ecclesiis statuentes eorundem fratrum confratrias fieri prohibetis, et contra tenorem privilegiorum eis a sede apostolica indultorum tam ecclesias quam clericos eorundem occasione qualibet emergente supponitis interdicto, illos quoque qui in dictos fratres manus mittunt violentas, domos eorum⁴ diruunt vel invadunt, eis res alias auferentes vel ipsos (f. 254) quomolibet aggravantes corrigere non curatis. Quoniam igitur officio nostro multum detrahitur, si viris religiosis aliquid contra iustitiam inferatis nec eos ab eorum molestiis defensetis, universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatenus opera pietatis que fiunt in illo Ierusalemitano zenodochio venerando diligentius attendentes super confratriis eorum nullum dampnum eisdem fratribus per quaslibet⁵ alias confratrias seu preiudicium inferatis nec ab aliis permittatis inferri nec eorum ecclesias vel clericos contra privilegia, que ipsis apostolica sedes indulsit, aliquatenus aggravetis. Illos autem quos vobis constiterit eisdem fratribus detrimentum vel iniurias irrogasse satisfacere ac⁶ plenam iustitiam exhibere monitione premissa per censuram ecclesiasticam ap-

1) cod.: 'propulsandos'. 2) cod.: 'cognitam'. 3) cod.: 'nostris'.

4) cod.: 'eos'. 5) cod.: 'qualibet'. 6) cod.: 'ad'.